

sive moralis Decalogi. Hic ergo denotat triplices leges veteris Testamenti, scilicet morales, caeremoniales et judiciales.

Dicitur *testamentum hoc aeternum*, quia diu duraturum, scilicet toto tempore Judaismi, sive Legis veteris, usque ad Christum. Fuit ergo aeternum non absolute, sed respectu sui status, suaeque legis cui semper adhæsit. Adde præcepta moralia Decalogi esse aeterna: unde etiamnum Christianos obligant. Caeremonialia vero et judicialia aeterna sunt, non in se, sed in rebus novi Testamenti, quas adumbrabant et significabant. Vide dicta canone 4 in *Pentateuchum*. Hinc dicitur quod « Deus hæreditavit illos legem, » id est, ut Complutenses, *per hæreditatem dedit eis legem*; et, ut alii, *fecit Hebræos possidere legem quasi hæreditatem eis propriam, et ad posteros transmittendam*, tum quia dedit eis legem semper duraturam, quæ instar hæreditatis a patribus ad filios, et ab iis ad nepotes, continua et perpetua successione transiret; tum quia in lege habebant omnia bona: in lege enim eam servantibus promittebatur firma possessio terræ promissæ, abundantia frumenti, vini et olei, omnisque rerum copia. Unde Tigurina vertit, *scientiam addidit eis, legemque vitæ tradidit hæreditatem, ut se mortales esse cognoscerent* (quæ verba habet quoque Complutensis, sed Noster ea delet); *pactum cum ipsis inivit aeternum, et eos jura sua edocuit*; Syrus, *posuit coram eis pacta, et leges vitæ docuit eos; factus sæculi pepigit cum eis, et judicia sua ostendit eis*. Porro quantum bonum et beneficium Dei sit lex, fuse docet Moses *Deuter. IV, 7* et sequent.; *Psal. XVIII, vers. 8* et seq. Vide quoque quæ notavi *Levit. XXIII, 17*. Quocirca David hoc admirans et celebrans *Psal. CXLVII*: « Non fecit, inquit, taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. » Et Baruch, cap. IV, vers. 1: « Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in aeternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. »

11. ET MAGNALIA HONORIS EJUS VIDIT OCVLUS ILLORUM, ET HONOREM VOCIS AUDIERUNT AURES ILLORUM, — *q. d.* Hebræi, cum daretur eis lex in Sina, oculis suis viderunt honorificam et gloriosam Dei legislatoris magnificentiam et honorem, id est, majestatem vocis divinæ auribus audierunt: videbant enim totum montem Sina fumantem, tremantem et ardentem; audiebant tonitrua, buccinam et vocem tubalem Dei proclamantis Decalogum, *Exodi XIX et XX*. Unde clare Græca habent, *magnificentiam gloriæ viderunt oculi eorum, et gloriam vocis ejus* (male aliqui legunt, *eorum*) *audivit auris illorum*; Syrus, *gloriam laudis ejus viderunt oculis suis, et honorem sermonis ejus audiverunt auribus suis*. Nam, ut ait Palaeus, opus datæ legis a Deo fuit summe honorificum et gloriosum; eo enim Dominus honorem et gloriam sibi conciliavit apud Judæos, ac vicissim quantum eos vellet honorare demonstravit.

12. ET DIXIT ILLIS: ATTENDITE AB OMNI INIQUITATE (Græce ἀδικου, id est *injusto*), ET MANDAVIT ILLIS UNICUIQUE DE PROXIMO SUO. — Hæc enim est summa et compendium secundæ tabulæ Decalogi, quem Deus per Angelum ex Sina proclamavit, nimirum nil injusti facere proximo, sed ei jus suum tribuere, puta debitum tam justitiæ, quam charitatis. *Secunda* enim tabula Decalogi, septem continens præcepta, tota spectat ad proximum, vetatque ne quid injustitiæ in bonis, fama, uxore et vita ei inferatur, sed omne eorum jus integrum illi inviolatumque conservetur. Primæ tabulæ præcepta de Deo colendo omittit, quia illa omnibus sunt nota, et quia illa satis insinuavit vers. 10, dicens: « Testamentum aeternum constituit cum illis, » utique non de alio quam de sui cultu, ut paulo ante dixi. Denique præcepta primæ tabulæ tacite comprehenduntur in secunda, quia amor proximi, in secunda præscriptus, manat ex amore Dei, qui prima præscribitur, eumque præsupponit. Hinc Apostolus totam legem ait contineri in dilectione proximi, *Roman. XIII, 9*. Vide ibi dicta. Quocirca Vatablus clare vertit, *ab omni injusto*, inquit, *abstinete, et de proximo mandata dedit singulis*; Syrus, *et dixit eis: Cavete, et ne mentiamini* (fallatis, fraudetis), *et præcepit eis viro, id est cuique, super proximo suo*.

13. VITÆ EORUM CORAM ILLO SUNT SEMPER, NON SUNT ABSCONSE AB OCVLIS IPSIUS. — Syrus, *vitæ eorum coram eo manifestæ sunt, et non transeunt a conspectu faciei ejus, q. d.* Deus dedit Hebræis legem, non abstrahens se a cura illorum, quasi non curans an legem servent necne; sed jugiter attendit, advigilat, inspicit an ei obsequantur, ut observantes præmiat, non observantes puniat: hoc enim est officium perfecti legislatoris. Reliquas gentes quibus legem non dedit, non adeo curat Deus, quomodo vivant. Unde de iis subdit: « In unamquamque gentem præposuit rectorem, et pars Dei Israel. » Hinc et pathetice suis legem suam prævaricantibus insultat *Jerem. VII, 11*, dicens: « Ego, ego sum; ego vidi, dicit Dominus. »

Secundo tamen, hanc sententiam accipias de omnibus hominibus. Unde Tigurina vertit, *semper illi patent instituta hominum, nec oculos ipsius latuerint*. Sicut enim Deus generalem habet providentiam omnium hominum, sic et inspectionem; sed peculiarem Israelis, sive populi fidelis. Alludit ad *Proverb. XVI, 2*: « Omnes vitæ hominis patent (aliqui vertunt, *vitæ sunt*, id est, pullucent instar vitri) oculis ejus; » de quo plura ibidem.

14 et 15. IN UNAMQUAMQUE GENTEM PRÆPOSUIT RECTOREM, ET (SED) PARS DEI ISRAEL FACTA EST MANIFESTA, — *q. d.* Aliæ gentes homines habent rectores, at Israel regem habet Deum; Deus aliis gentibus præfecit reges et principes, qui eas suis legibus regant; at « Israel, » id est, populus Hebræus, « facta est pars, » id est hæreditas, « Dei manifesta, » quia Deus per se Israellem voluit regere, eique per se legem dare. Quare Israel est

regnum, respublica et populus peculiaris Dei. Unde Deus cum eo habitabat, residens in propitiatorio super arcam, indeque edens oracula, ac inambulabat inter illum, ut merito eos pudere debuerit coram Deo præsentate peccare.

Addit *et manifesta, q. d.* Manifestum est non soli Israeli, sed toti mundo, quod Israel sit populus, pars et regnum Dei, quia omnes vident illum a Deo regi, amari, protegi, assiduis beneficiis, quin et oraculis ac miraculis ornari; omnes vident Deum Israellem a cæteris gentibus, per regem et religionem, sui que cultum separasse, illumque sibi selegisse et astrinxisse. Quare non est quod cum Jansenio, contra omnium codicum fidem, *et manifesta* referamus ad verum sequentem, hoc modo: « Manifesta omnia opera eorum velut sol in conspectu Dei. »

Secundo, Rabanus, Lyranus et Glossa recte (licet id neget Jansenius) per rectores intelligunt Angelos, *q. d.* Deus cæteris gentibus præfecit Angelos, qui eos regant; Israellem vero sibi regendum servavit, juxta illud *Deuter. cap. XXXII, vers. 8*, secundum Septuaginta, *statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei*. Unde et *Daniel. cap. X, vers. 21*, princeps Persarum et princeps Græcorum inter se configere dicuntur.

Dices: Deus Israellem regit quoque per Angelum ei præpositum, puta S. Michaellem; hic enim olim præpositus fuit Synagogæ, uti nunc est Ecclesiæ, *Daniel. X, 21*.

Respondeo, S. Michael regebat Synagogam, et nunc regit Ecclesiam, quasi peculium sive regnum proprium et peculiare Dei: populus enim fidelis, qualis erat Hebræorum, Deo per fidem, legem et religionem obstrictus, est respublica propria Dei. Hunc ergo regit S. Michael quasi vicarius Dei, in regno Dei proprio et primo, quod est Ecclesia; cæteri vero Angeli regunt suas gentes, utpote infideles, quasi regnum Dei spurium et rebelle, utpote ab ejus lege, fide et cultu abhorrens. Sic rex Hispaniarum proprie regit Hispanias per se suamque præsentiam, subordinando sibi prætores, gubernatores, etc. Indias vero cæteraque regna regit per vicereges. Sic Pontifex regit Romanam, quasi proprius hujus urbis Episcopus: alias vero urbes et provincias regit quasi Pontifex totius Ecclesiæ, per proprios Episcopos, quos eis præficit; infideles vero regit per viros Apostolicos, qui prædicent Evangelium, eosque ad Ecclesiam alliciant. Adde, Deus sæpe per se immediate regit Ecclesiam, ut in Sacramentis quibuslibet: quoties enim Sacramentum aliquod confertur, Deus immediate recipienti illud infundit gratiam: hanc enim infundere nequit Angelus.

Rursum quoties suscitantur mortui, vel fiunt miracula, Deus per se illa operatur: illa enim operari nequit Angelus. Miraculum enim est et dicitur opus, quod omnem vim naturalium agentium, etiam Angelorum, excedit, ideoque vim divinam

requirit: ac proinde est opus supernaturale et proprium Deo.

Hoc est quod Moses ait *Deuter. VII, 6*: « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis qui sunt super terram. » Et *cap. XXXII, 9*: « Pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. » Et *Exodi cap. XIX, 5*: « Eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta, » ut ergo sanctus, sim quasi proprius rex vester. Quocirca Samuel Hebræis postulantis regem, *I Reg. VIII, vers. 7*, audit a Deo: « Non te abjecerunt, inquit, sed me, ne regnum super eos. » Unde Josephus, lib. II *Contra Apion.*, cum gentes regi vel monarchia vel aristocratia vel democratia docuisset, subdit Israellem regi theocratia, puta a Deo: « Noster, inquit, legislator in nullam harum administrationum intendens, theocratiam instituit, uni imprimis Deo imperio atque potestate assignata. »

Porro Complutenses et Tigurina nonnulla addunt, quibus caret Latina Vulgata; sic enim habent, *omnis homo a juventute ad mala intentus est, nec potuit cor eorum e lapideo fieri carneum; nam in distribuendis totius terræ gentibus ducem cuique genti constituit, et Israellem sibi deligit peculiariter, quem ut primogenitum disciplina educat, et lumen charitatis impertiens non deserit*; Syrus vero, Latino consentiens, vertit succincte, *omnibus populis constituit præpositos, et pars Domini Israel*; pars, id est, portio hæreditaria, sive hæreditas.

Tropologice Rabanus: « Pars Dei Israel facta est manifesta, hoc est, congregatio Sanctorum probata, quorum dogmata lucent sicut sol in conspectu Dei, et actiones Deo sunt placitæ. Oculi enim Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum: quoniam oculi eorum ad Dominum intendunt, et amor cordis eorum anhelat. Ex quorum persona Propheta loquitur dicens: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. » Hi sunt Israel, quia dominantur vitiis, passionibus, sibi, indeque Deo. Sicut enim Jacob, id est supplantator, scilicet Esau fratris sui, id est carnis suæ, deinde dictus est Israel, id est, dominans Deo, quia in lucta prævaluit angelo Dei, *Genes. XXXII, 28*: sic pariter Sancti post victoriam et dominium passionum, quasi dominantur ipsi Deo, ut ab eo impetrent quæcumque volunt.

16. ET OMNIA OPERA ILLORUM VELUT SOL IN CONSPECTU DEI; ET OCVLI EJUS SINE INTERMISSIONE INSPICIENTES IN VIS EORUM. — Inculcat id quod dixit vers. 13, *q. d.* Omnia opera Israelis, puta Israelitarum singulorum, tam bona quibus servant legem Dei, de quibus dicit vers. 18, quam mala quibus eam violant, de quibus dicit vers. seq., clara sunt et manifesta in conspectu Dei, sicut sol clarus et manifestus est toti mundo, idque non ex se, quasi hæc claritas eis sit intrinseca et connaturalis; sed ex Deo, quia scilicet illuminantur a claritate Dei, et ab oculis ejus lucidissimis, qui

jugiter illuminant et inspiciunt omnes vias, id est, actiones eorum: sicut terra et aer clara sunt, non ex se intrinsecus, sed quia extrinsecus illuminantur a sole. Unde potius dicendum est quod Deus sit sol omnia illuminans et intuens, quam quod opera hominum sint lucida ut sol, uti audiemus cap. XXIII, vers. 28. Ita Lyranus et Jansenius hæc adaptant soli Israeli.

Potest, secundo, hæc sententia accipi de Gentibus, q. d. Esto Dei pars sit Israel, quem peculiari providentia inspicit, regit et curat: tamen communi providentiæ oculo aspiciunt omnes gentes, eorumque tam mala quam benefacta intuetur, ut illa puniat, hæc præmiiet. Unde Tigurina vertit, *quapropter omnia illarum (gentium) facta tanquam sol palam eo sunt, et instituta earum intuetur oculis assidue*; Syrus vertit ut Noster, *omnia opera eorum sicut sol apparent in conspectu ejus, et manifesta sunt ei omnia consilia eorum.*

Tertio, nonnulli hæc de bonis Israelis operibus accipientes explicant, q. d. Quia Deus Israel sibi elegit in partem, sortem et hæreditatem, hinc opera ejus, qua Israelis, id est, qua fidelis est et pius, tam libenter videt, quam solem videmus: gratissimus ei illorum est aspectus. Sic de Salomone dicitur *Psal. LXXXVIII, 37*: «Thronus ejus sicut sol in conspectu meo,» ut in æternum coram me fulgens oculos meos oblectet. Et inferius cap. L, 7, de Simone: «Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei.» Et cap. XXVI, 11: «Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.»

17. NON SUNT ABSCONSA TESTAMENTA PER (perperam Complutenses et multi pro *per* legunt *super*; alii, *propter*) INIQUITATEM ILLORUM, ET OMNES INIQUITATES EORUM IN CONSPPECTU DEI. — Ita Romana, Rabanus et alii, q. d. Testamenta, id est, pacta Dei inita cum Israele, non sunt irritata per iniquitatem Israelitarum, esto omnes eorum iniquitates sint in conspectu Dei, ut singulos suo tempore castiget et puniat. Hoc est quod ait Paulus *Rom. III, 3*: «Numquid infidelitas hominum fidem Dei evacuavit? Absit. Nam est Deus verax, omnis autem homo mendax.»

Secundo, testamenta, id est, ordinationes et leges Dei non sunt absconse et abolitæ per peccata, quibus homines eas violarunt, quia manet vigilatque semper inconcussa Dei ordinatio et legum obligatio, juxta quam pœna legibus decreta peccatores exspectat: Deus enim eos eorumque peccata jugiter præ oculis habet, ut suo tempore ea judicet et vindicet.

Tertio, Palacius, pro *per* legens *super*, sic explicat: Non sunt absconsa pacta quæ impii ineunt super iniquitate, v. g. ad rebellandum regi vel Deo. Ergo licet illi super iniquitate occultissima sanciant fœdera, illa tamen ut sol clarissime patent Deo. Verum hæc expositio, æque ac lectio, arctior et alienior est.

Græca concisa hæc tantum habent, non occultan-

tur iniquitate ipsorum coram eo, omniaque peccata eorum coram Domino sunt; Syrus, non sunt abscondita delicta eorum a conspectu ejus, et peccata omnium hominum scripta sunt in conspectu ejus, nimirum scripta sunt in mente et memoria Dei, ad ea iudicandum et castigandum. Complutenses et Tigurina plura addunt, *injuste facta illarum (gentium) non latent ipsum, sed omnia peccata ipsarum ei perspecta sunt. Ipse autem cum benignus sit, et opificium (Græce πένεμα, id est figmentum) suum habeat cognitum, neque ablegat homines, neque deserit, ut qui parcat ipsis.*

18. ELEEMOSYNA VIRI QUASI SIGNACULUM CUM IPSO, ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT. — Dixit opera mala esse in conspectu Dei; jam idem dicit de bonis, inter quæ præcipua est eleemosyna. Lyranus et alii pro *signaculum* legunt *sacculus*, quasi dicas: Eleemosyna eleemosynario est quasi sacculus, id est pera. Sicut enim in pera homo viaticum reponit, ad quod in necessitate recurrit: sic eleemosyna in morte homini subvenit. Unde S. Augustinus: «Sola misericordia, inquit, comes est defunctorum;» ut huic alludat Christus *Luce XII, 33*, dicens: «Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis.»

Verum pro *sacculo* legendum est *signaculum*. Ita Romana, Rabanus et alii: hoc enim significat Græcum σφραγίς. Eodem tamen redit sensus, sive legas *sacculus*, sive *signaculum*. Alludit enim ad pecuniarum sacculos, sive bursas veterum, qui sigillo munitabantur et obsignabantur, ne quis eas reserare auderet, utque, si perderentur, ex sigillo cognosceretur quis eas perdidisset. Id patet ex S. Augustino, serm. 19 *De Verbis Apost.*, ubi narrat bursæ perditæ inventorem petiisse ab eo qui se eam perdidisse dicebat, signa et sigilla bursæ: «Quæsit, inquit, signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum.» Et S. Hieronymus, epistola 47 *De vitando suspecto contubern.*: «Dolet, ait, sibi prælatum juvenem, etc., qui sacculum signet, texturum teneat, pensa distribuatur, regat familiam, emat quidquid de publico necessarium est.» Ut huic allusisse videatur Christus *Luce XII, 33*, dum ait: «Facite vobis sacculos qui non veterascunt.» In quæ verba B. Chrysologus *serm. 25*: «Sacculus, inquit, cur paratur? quid ibi claustra, ubi custos est innocentia? quid ibi signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur?» Eleemosyna ergo hic loco mercedis habitura dicitur *signaculum*, id est sacculum nummis refertum, ideoque diligenter obsignatum, suisque claustris et sigillis obseratum, q. d. Eleemosyna dat opes securas et stabiles, quas nec tinea corrodit, non fures furto subducunt, ut ait Christus. Verum quia vera lectio est *signaculum*, alios hic ejus sensus aggeramus.

Primo, Rabanus et Jansenius sic explicant: Sicut sigillo et signaculo solemus obsignare res caras et pretiosas: ita Deus obsignat eleemosynas cujusque in menta sua, q. d. Eleemosynæ piorum ma-

nent in mente et memoria Dei, quasi signaculo vel sigillo ejus obsignatæ, ut fideliter ibi assertentur, ac suo tempore justam eis mercedem retribuat. Multi enim dicunt se facere eleemosynas, et queruntur se stam earum mercedem non recipere. His respondet Siracides, Deum eas tenere obsignatas apud se, ut congruo tempore remuneretur: illud ergo tempus fidenter et longanimiter expectent. Nota metonymiam: eleemosyna vocatur signaculum vel sigillum, hoc est, res signata et sigillata (ut vertit Syrus) in mente Dei. Simili modo ait Deus, *Deuter. XXXII, 34*: «Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?» Et Paulus de electis signatis per Dei præscientiam et prædestinationem: «Firmum fundamentum Dei stat, inquit, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini,» *II Timoth. II, 19*.

Secundo, magis genuine et nervose, q. d. Ipsa eleemosyna est quasi signaculum, id est annulus signatorius Dei, cui insculpta est imago eleemosynarii. Sicut enim annulus signatorius homini est carissimus, quem semper in manu et præ oculis habet: sic est et eleemosyna coram Deo, scilicet ipsi in pretio et carissima, ejusque oculos semper verberans. Hinc aliqui vertunt, *miseriordia est sicut signum annuli apud ipsum*. Simili modo Deus ait Zorobabeli: «Ponam te quasi signaculum,» *Aggæi II, 24*. Vide quæ ibidem hæc de re fuse dixi.

Addunt aliqui eum qui eleemosynam erogat, a Deo quasi sigillum accipere, ut scribat quidquid volet, quidquid optabit, sigilloque Dei diploma imprimat et obsignet, quo ante Dei tribunal præsentato, haud dubie postulatum impetrabit, sique voti compos optatum recipiet. Qua phrasi et tropo significat eleemosynarium omnia quæ petit a Deo obtinere. Verum hoc sigillum esse apud Deum, non apud eleemosynarium, patet ex dietis. Unde hoc signaculum a similitudine pupillæ explicat Siracides, dum subdit: «Et gratiam hominis quasi pupillam conservabit,» non eleemosyna, sed ipse Deus, ait Jansenius, q. d. Deus in memoria quasi in libro rationum suarum, exacte et studiose scribit et conservat gratiam, id est, misericordiam et beneficium alteri impensum, quasi pupillam oculi, puta ea cura et sollicitudine qua homo conservat pupillam oculi sui; imo eadem qua Deus conservat pupillam oculi sui, id est, aciem mentis suæ, juxta illud de piis et misericordibus: «Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei,» *Zach. II, 8*. Aut potius *gratiam hominis accipias eam, qua homo eleemosynarius est gratus et gratus in oculis Dei, æque ac hominum*; hæc enim significat Græcum χάρις, et Hebr. חן *chen*. Unde tritum illud in Scriptura: «Invenisti gratiam in oculis meis,» q. d. Sicut pupilla gratiosa est homini, et annulus signatorius gratus est principi: sic gratiosa est eleemosyna Deo.

Rursum, sicut annulus signatorius conservat memoriam et gratiam amati in mente amici annulum gestantis (olim enim solebant effigiem ejus quem valde amabant, insculpere palæ annuli, ut amatum suum amans semper haberet in oculis, et quasi præsentem): ita eleemosyna conservat jugiter memoriam et gratiam eleemosynarii in oculis et mente Dei; eleemosynarius enim in sua eleemosyna quasi in sua effigie, a se efformata, effigiat et expressus cernitur. Facit ergo eleemosyna ut eleemosynarii gratia semper apud Deum viva et cara instar pupillæ conservetur. Tæ ergo conservat potius ad eleemosynam refer, quam ad Deum. Vult enim docere omnia opera nostra tam mala quam bona, qualis est eleemosyna, conspicua esse Deo, Deique oculos verberare. Unde Tigurina vertit, *benignitas (Vatablus, misericordia; hanc enim significat hebr. חן chesed) hominis instar sigilli coram ipso (Deo) est, et beneficium cujusque conservat tanquam pupillam*. Vatablus pro *gratiam* vertit *amorem*; hunc enim significat quoque hebr. חן *chen*, q. d. Eleemosyna favorem, gratiam et amorem eleemosynarii apud Deum conservat, eumque gratum et delicatum reddit tanquam pupillam oculi, quia facit ut Deus illum amet, illique in omnibus faveat. Addunt Complutenses et Tigurina, *distribuens vel concedens filiis ejus et filiabus pœnitentiam, q. d. Eleemosyna sua gratia apud Deum impetrat eleemosynario pœnitentiam peccatorum, nec tantum ipsi, sed et filiis et filiabus ejus*. Unde Daniel ad Nabuchodonosorem, cap. IV, 44: «Peccata tua, inquit, eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiam pauperum;» Syrus vertit, *justificatio (vel victoria) omnium hominum sigillata est, et posita apud eum, et gratia omnium hominum sicut pupilla oculi custodita est coram eo. Justificatio sive justitia vocatur eleemosyna, ob analogias quas recensui Daniel. IV, 44; quæ versio magis favet priori expositioni Jansenii.*

Porro Palacius hæc aliter explicat. Audi eum: «Eleemosyna inquit, est velut sacculus pecuniæ cum ipso; secundo, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit; tertio, et postea resurget; quarto, retribuet illis retributionem unicuique in caput ipsorum; quinto, convertet inferiores partes terræ.» Prima ergo laus eleemosynæ, de qua tractat Auctor, ut de opere quo Deus magnopere colitur, est, quod sit velut sacculus, scilicet pecuniæ, q. d. Qui sacculum pecuniæ secum defert, emit quod vult: ita qui eleemosynam dat, licet abiciat pecuniam, affert tamen eam secum, qua favorem Dei contra mala, honorum copiam in terra, et demum felicitatem sibi comparet in cælo. Græcis pro *sacculus* est sigillum, et est sensus: Ut Abraham accepit circumcisionem velut sigillum, quo Deus testabatur eum esse justum: ita eleemosynam faciens, sigillo Dei munitus est, quo ostenditur esse justus; qui enim dat cibum famelicis, potum sitienti, etc., justus

habetur in die iudicii. Et ut litteras sigillo munitas non temere quis audeat violare: ita nec dæmones facile violant eum qui ex misericordia eleemosynas largitur, siquidem in die mala liberabit eum Dominus. *Secunda* eleemosynæ laus est, quod conservat diligenter et curiose gratiam, præclarissimam plane laudem. Cum enim gratia animæ nostræ adeo pateat invidiæ dæmonum, fragilitati carnis, cupiditati et impugnationibus mundi, eleemosyna est, quæ contra tot hostium furentium phalanges gratiam conservat et defendit, id est, Deum attente in cælo precatur ut defendat, juxta illud: « Dominus conservet eum et vivificet, » etc. Hæc Palacius.

Nota, gratiam Dei recte comparari pupillæ, *primo*, quia sicut in pupilla apparet imago virunculi, unde Hebræice pupilla vocatur *אשון* *iscon*, *q. d.* Virunculus: sic in gratia apparet imago Dei; gratia enim est summa participatio divinitatis, juxta illud II *Petri* 1, 4: « Ut efficiamini divinæ consortes naturæ. » *Secundo*, sicut pupilla est gratia, decor et venustas faciei: sic gratia est decor, venustas et dignitas animæ; tolle pupillam, exoculas hominem; tolle gratiam, excæcas, imo occidis animam; tolle e cælo solem per diem, tolle per noctem stellas, cælum non aliud erit nisi tenebræ et caligo; tolle gratiam, tollis solem et stellas mentis, quibus sublatis, sicut pupilla homini, sic et gratia fidei summe debet esse curæ et cordi, ut eam conservet, augeat, perficiat. Vide ergo quantæ sit dignitatis eleemosyna, quæ hanc pupillam animæ, gratiam dico, conservat. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Eleemosyna et Collatione in Sanctos*, eleemosynæ gratiam æquat gratiæ miraculorum, qua mortui suscitantur, leprosi mundantur, dæmones fugantur. Additque: « Deus eleemosynam non ob hoc solum constituit, ut pascantur indigi, sed etiam ut dantibus accrescerent beneficia, atque adeo magis propter dantes, quam propter accipientes. Et propterea vera eleemosyna est, sic dare, ut gaudeas te dare, putesque te accipere magis quam dare. » Denique eleemosyna gratiam invenit etiam apud hostes, sibi que amicat non solum amicos, sed inimicos; quin et gratiam præstat, ne dæmones, jurati hostes, nobis nocere queant. Audi S. Chrysostomum, homil. 33 *ad Populum*: « Sunt et hic, inquit, castra pauperum, et bellum, in quo pro te pauperes pugnant: cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitium autem facientes, pro barbaris dæmonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere; sed ipsius solvunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites, quotidie pro te cum diabolo precibus et orationibus pugnantes, a temetipso istud tributum exige, illorum alimenta. »

Hanc gnomen et hoc ænigma pulchro hom-

byeis et hominis apologo representat Cyrillus, lib. III *Apologorum moralium*, cap. xx. Bombyx enim sericeo suo quod homini præbet, se involvens et abscondens, significat benevolum beneficium debere ostendere, seipsum vero abscondere. « Quare liberalis, inquit, abscondit faciem, fugit laudem, nullam repetit exteriorem mercedem. Nunquam patens est natura gemmificans, nec auri liberalissima vena palam se ostentat. Natura nempe et virtus non in faciem tribuunt, quia nec rem, nec laudem pro muneribus virtualiter effusis extrinsecus cupiverunt. Quibus auditis, vale addito quievit. »

19. ET POSTEA RESURGET (exsurget ad iudicium non eleemosyna, sed Deus, cujus est iudicare et cuique pro meritis retribuere), ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM, UNICUIQUE IN CAPUT IPSORUM, ET CONVERTET IN INTERIORES (aliqui legunt, inferiores) PARTES TERRÆ.

Primo, Jansenius, Lyranus et Palacius hæc referunt ad eleemosynam et eleemosynarios, *q. d.* Eleemosyna signata et custodita servatur apud Deum usque in diem iudicii; tunc enim resurget, id est exsurget Deus ad iudicium, et retribuere unicuique capiti pro meritis, et convertet in inferiores partes terræ, id est in mortuos, tempore Siracidis in inferno, id est limbo patrum degentes: tum quia efficiet ut ad eos perveniat vis eleemosynæ, dum propter eam illos resuscitabit ad gloriam; tum quia efficiet ut anima eleemosynarii, si in purgatorium expianda mittatur, inde liberetur, vel certe pœna ejus mitigetur. Ita Lyranus, Palacius, Jansenius, qui ex hoc loco contra hæreticos probant Purgatorium.

Perperam Præpositivus, quem citat et refutat Hugo hic, aliiquæ nonnulli ex hoc loco et similibus censuerunt eleemosynam prodesse quoque animabus damnatis in inferno, quod per eas pœna illarum mitigetur ad tempus. Citant pro se S. Augustinum *Enchir.* cap. cx, ubi ait: « Quibus autem prosunt (eleemosynæ et suffragia) aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio. » Verum S. Augustinus loquitur de damnatione ad purgatorium, non ad infernum: utriusque enim sunt damnati ad eundem ignem; sed ibi ignis temporarius, hic æternus. Id ita esse patet ex eo quod immediate præmittit S. Augustinus: « Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. » Citant quoque pro se S. Chrysostomum, homilia 3 *in Epist. ad Philippenses*, Innocentium III, cap. *Cum Martha*, et alios. Sed ad omnes et omnia egregie respondet Bellarminus, lib. II *De Purgatorio*, cap. xviii.

Porro quanta sit ista retributio docet Christus,

qui pro calice aquæ frigidæ promittit regnum cælorum, *Matth.* cap. x, 42. Unde S. Chrysostomus, homil. 5 *De Pœnit.*: « Negociatori, ait, nulla alia est intentio, nisi parvo quidem emere, magno autem vendere, etc. Tales igitur Deus nobis nundinas proposuit: modico iustitiæ emitur, tantum pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ. » Et Angelus ad Tobiam, cap. xii, 9: « Qui faciunt, ait, eleemosynam et iustitiam, saturabuntur vita. »

Secundo, aptius hæc referas ad iniquitates et iniquos, de quibus egit vers. 16 et 17, *q. d.* Iniquitates et iniqui sunt in oculis Dei, ac servantur in mente et memoria Dei usque ad diem iudicii, tum particularis, tum universalis; tunc enim Deus vindex exsurget ad iudicium, atque impios, immisericordes et impœnitentes in iniquitate persistentes et morientes iudicabit, ac retribuere illis meritas pœnas in caput ipsorum, quia convertet (aliqui legunt, conteret) mittetque eos in infernum. De iniquis enim et impœnitentibus hic agitur ex antithesi sequenti. Hisce enim opponens pœnitentes vers. seq. subdit: « Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ, » etc. Idem satis significat *et retribuere unicuique in caput ipsorum*. Impiis enim in caput, piis in sinum retribuere dicitur Deus. Unde Syrus clare vertit, *et post hæc revelabitur et retribuere eis, et peccata eorum in caput eorum dabit*. Denique si amplissime hanc sententiam vis accipere, potes eam referre tam ad pios, quam ad impios, itaque utramque expositionem jam datam jungere, et quasi unam complecti. Unde Tigurina vertit, *tandem vero exurgit, et suam singulis dat pretium, suamque cuique vicem in caput suum regetur*.

20. PœNITENTIBUS AUTEM DEDIT VIAM JUSTITIÆ, ET CONFIRMAVIT DEFICIENTES SUSTINERE (id est, ad sustinendum, ut sustineant tentationem), ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS. — *Tò pœnitentibus autem* innuit hic esse antithesim, ideoque præcedentia accipi de iniquis impœnitentibus, uti jam dixi: forte etiam respicit ad id quod Græca Complutensium addunt in fine vers. 18: « Filiis ejus (eleemosynarii) et filiabus locum concedens pœnitentiæ. » Dixit vers. 16 et 17, Deum intueri omnes omnium iniquitates, ut eas iudicet et vindicet; nunc, ne quis ideo iniquitatum suarum veniam desperet, subdit remedium, scilicet pœnitentiam, *q. d.* Si peccasti, et naufragium innocentiae iustitiæque fecisti, superest post naufragium tabula qua te salves, scilicet pœnitentia, quam Deus tibi suggerit et offert; pœnitentibus enim dedit viam iustitiæ, id est ad iustitiam, puta viam qua redeant ad iustitiam; via hæc est pœnitentia. Unde Græca habent, *verumtamen pœnitentibus concedit reditum*, scilicet ad se et ad iustitiam; Tigurina, *attamen regressum concedit respicientibus*; Syrus, *verum pœnitentibus dabit pœnitentiam*. Nec tantum hoc, sed insuper confirmavit deficientes, *q. d.* Deus confirmat et corroborat pusillanimes, qui alioqui sibi relictis per infirmitatem humanam animo caderent et deficerent in

tentatione et tribulatione, laberentur in consensum tentationis, impatientiam, desperationem, cæteraque peccata; confirmat, inquam, « deficientes sustinere, » id est, ad sustinendum; nam vi gratiæ suæ facit ut omnem tribulationem fortiter tolerent et sustineant. Porro confirmat tum per lectionem sacræ Scripturæ priorumque librorum, tum per concionatores et consolatores, tum per exempla Sanctorum, tum maxime per internam gratiam et robur, quod menti inspirat. Unde Græce est *παρεκάλειν*, quod veritas *primo*, hortatus est; *secundo*, consolatus est; *tertio*, advocavit, rogavit. Unde aliqui hic legunt *conrogavit*, vel potius *conrogavit*, itaque vertisse nostrum Interpretem censet Jansenius, ac sic legit S. Ambrosius, vel potius Victor Cartennæ Episcopus, lib. *De Pœnitentia*, cap. 1 (exstat tom. V S. Ambrosii, edit. Roman. p. 403), ubi inter cætera ait: « Habet enim iustitiæ partem (pro viam enim ipse legit *partem*) errati cauta confessio; ut mulgeas misericordiam, exerce prior ipse in te censuram. » Quarto, excitavit, animavit, confirmavit, uti vertit Noster. Hinc idem Victor ibidem sic pœnitentiam definit: « Pœnitentia est prioris ævi damnatio, et in futuro promissa correctio, et velut in aliam vitam ducitur usus vivendi, dum pia mens ea quæ sunt a tergo non respicit. »

Græca integre sic habent: *παρεκάλειν ἐλεεινούς ὑπομονῆν*, ubi necessario subintelligenda est aliqua præpositio. Tigurina subdit *πρός*, id est *ad*; unde vertit, *labescentes hortatur ad patientiam*. Alii intelligunt *κατὰ*, id est *secundum, juxta*; unde vertunt, *cohortatur deficientes secundum patientiam*, id est, deficientes sive destitutos patientia. Complutenses, *confirmavit deficientes expectatione*; Romana, *deficientes sustinentia*; Syrus ab alio: *habet enim, et disperdet omnes qui justos offendunt*.

ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS, — puta sortem pœnitentiæ et iustitiæ debitam, scilicet vitam æternam. *Veritas* enim in Scriptura sæpe significat iustitiam omneque officium virtutis, sive id quod quis facere debet, ut digne suo gradu et statu vivat. Sic de diabolo dicitur *Joan.* cap. viii, 44: « In veritate non stetit, » id est, non perseveravit in statu angelico, non fecit quod facere debebat Angelus, officium angelicum deseruit. Sensus ergo est, *q. d.* Iniqui de quibus agi vers. 16 et 17, expectant a Deo, jugiter oculis torvis iniquitates ipsorum intuentem, sortem iniquitati debitam, puta infernum, uti dixit vers. 19; at pœnitentes, si ab iniquitate serio convertantur, expectant a Deo sortem veritatis et iustitiæ, puta cœlestem felicitatem: hanc enim Deus eis ab æterno destinavit *Matth.* xxv.

Significat duplicem esse sortem hominum: alteram felicitatis terrenæ, quæ conceditur impiis, et hanc esse sortem vanitatis, somni, mendacii et tenebrarum; alteram felicitatis æternæ, et hanc esse sortem veritatis. Quod si intelligis, sat est, ait Palacius.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA HORTATUR AD PŒNITENTIAM, UT PER EAM REDEANT AD DEUM.

21 et 22. CONVERTERE (Græce ἐπέστρεψε, id est redi, revertere) AD DOMINUM, ET RELINQUE PECCATA TUA: PRECARE ANTE FACIEM DOMINI, ET MINUE OFFENDICULA. — Tigurina, *offensas*; Syrus, *revertimini ad Dominum, et revertimini a pereundo, revertimini a peccando, et ne iram provocetis. Quæ enim utilitas Deo est in omnibus, qui pereunt in mundo, pro iis qui vivunt et dant ei gratiarum actionem?* Complutenses addunt ὡς, id est igitur. Infertur enim hæc secunda pars capituli de pœnitentia ex prima, puta ex dictis de beneficiis Dei in hominem collatis, deque inspectione ejus, iudicio et retributione, qua bonis æque ac malis pro meritis retribuit, q. d. Cum, o homo, tot Dominibus et debitis obstrictus sis Deo, isque singulas tuas actiones, ac præsertim iniquitates omnes, intente inspiciat, ut eas acerrime in gehenna puniat; consequens est ut, si sapias, si animæ, si salutis, si æternitati tuæ consulere velis, convertaris ad Dominum. « Convertere, ait Hugo, et revertere velut ancilla ad dominam suam, juxta illud Genes. xvi: Revertere, Agar, ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. Revertere, fili prodige, ad patrem tuum, ac dicito: Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Peccavi. Revertere, meretrix adultera, ad sponsum tuum, juxta illud Jerem. iii: Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere. Revertere, æger, ad medicum, juxta illud Osee vi: Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos. »

Nota primo: Siracides ad conversionem et justificationem requirit duo: primum, ut peccator ex toto corde convertatur ad Dominum; secundum, ut relinquat peccata. Peccator enim dum peccat, relicto bono incommutabili, convertit se ad bonum commutabile. Igitur ut convertatur et redeat ad pristinum justitiæ statum, oportet ut, relicto bono commutabili, redeat ad incommutabile, ac a creaturis convertatur ad Creatorem. Perinde enim ac lux excludit tenebras, et tenebræ lucem: sic vicissim amor Creatoris excludit amorem inordinatum creaturæ, et vice versa. Addit tertium, ut precetur « ante faciem Dei, » scilicet ut pœnitens prosternat se coram Deo, ab eoque suppliciter veniam postulet. Addit quartum, ut minuatur offendicula, scilicet, tum peccata et offensas, quæ Deum offendunt, tum occasiones peccandi et Deum offendendi, tum conversationes suspectas, et quæcumque proximis præbent occasionem offendiculi et scandali. Hæc enim omnia significat Græcum πρόσκομμα; eaque, quoad potest, minuire et auferre debet, qui serio vult ad Deum converti. Sic Manasses pœnitens

abstulit offendicula, puta idola quæ prius exerebat, II Paral. xxxiii, vers. 15. Nota secundo, ἵνα precare ante faciem Domini, hoc est, ante conspectum Domini, vel ante personam Domini, puta ante Dominum. Hebraice enim פָּנֵי פָּנֵי, et Græcum πρόσωπον, tam faciem, quam personam, quæ ex facie a cæteris distinguitur et dignoscitur, significat.

Ubi nota panim Hebraice esse numeri pluralis, et carere singulari, ut significet plures, puta tres in Deo esse personas. Unde Exodi xxxiii, 20, ad illud: « Faciem meam videre non poteris, » notant Cabalistæ Hebr. פָּנֵי פָּנֵי, id est faciem meam, esse trilaterum, ac representare tres personas SS. Trinitatis: imo tres litteras, quibus scribitur panai, esse signa trium hypostaseon. Nam prima littera est פָּ, quæ significat os, ex quo verbum procedit, quæ proinde apposite refert Deum Patrem. Secundo est י, nun, quæ diserte Filium significat, a radice נִי, a quo Arabes et Hispani niños vocant infantes et filiolos. Tertia est יוֹד, id est Manus, quæ in Scriptura Spiritum Sanctum significat, ut cum ait David Psal. cx, vers. 10: « Quo ibo a spiritu tuo? » mox subdit: « Illuc manus tua deducet me. » Hæc omnia annotavit Raphael Aquilinus, tract. 1, quem citat Anton. Ricciardus in Comm. Symbolicis. Sic veteres Hebræi et Latini dicebant in Deo esse tres facies, tres species, tres formas, id est tres personas. Audi Tertullianum adversus Praxeam: « Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem status, unius substantiæ, unius potestatis: quia unus Deus ex quo et gradus isti, et forma, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, deputantur. » Gradus dixit origines et processionem, uti recte annotavit Pamelius. Hinc et Septuaginta pro facies vertunt πρόσωπον, id est personam. Veteres enim Philosophi ignorarunt distinctionem naturæ et personæ: unde Aristoteles cum ait actiones esse suppositorum, per supposita non intellexit personas, sed substantias, uti recte notavit Suarez in Metaphys. Quocirca Martialis poeta subsannans SS. Trinitatem quam colunt Christiani, eo quod non caperet Trinitatem personarum in una eademque essentia: « Hermes, ait, omnia solus, et ter unus; » cui respondens Athenagoras, cœvus pene S. Dionysio Areopagitæ, in Apolog. pro Christianis, ait « Deum esse unum actu, tres vero virtute, » id est unum esse in essentia, tres vero in personis. Necdum enim nomen hypostasis usurpabatur pro persona, sed ex suo etymo significabat substantiam. Primus enim qui hypostasin ab οὐσία distinxit, ac personas vocavit hypostases, οὐσίαν vera

earum essentiam, fuit Hosius Episcopus Cordubensis, ut confutaret Sabellium dicentem in Deo unam esse hypostasin et personam, sicut est una natura, uti refert Socrates lib. III, cap. iv et v.

Igitur Dei facies quam adoramus et cui supplicamus, significat primo, Dei essentiam; secundo, Dei præsentiam: hujus enim index est facies; tertio, Dei personam: persona enim ex facie dignoscitur et judicatur; quarto, benevolentiam: hæc enim in facie benevola cernitur. Unde Deus dicitur avertere faciem suam ab eo cui irascitur, ostendere vero faciem illi quem benigne respicit, juxta illud Psal. lxxix: « Ostende faciem tuam, et salvi erimus; » pro quo S. Augustinus legit, illumina faciem tuam, id est, lucidam, hilarem, benignam faciem nobis ostende.

Hinc et S. Gregorius exponens illud Job. i: Nisi in faciem benedixerit tibi: « Nos nempe, inquit, quod amamus respicimus; quod vero aversari volumus, ab eo faciem declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus ejus gratiæ perhibetur intelligi? Ait ergo: Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Ac si aperte dicat: Ea quæ dedisti subtrahere. Nam si accepta perdidit, respectum gratiæ tuæ ablatis rebus temporalibus non requirit. Si enim ea quibus delectatur non habuerit, favorem tuum, etiam maledicendo, contemnit. » Hinc Siracides jubet orari coram facie Dei, ut orando illam nobis concilemus, ac ex irata, severa, minaci eam nobis propitiam, serenam, benevolam et beneficam reddamus.

23. REVERTERE AD DOMINUM, ET AVERTERE AB INJUSTITIA, ET NIMIS ODITO EXSECRATIONEM, — puta peccatum quod Deus exsecratur et abominatur. Repetit et inculcat aliis verbis, quod dixit vers. præced. « Nimis, » id est, valde: hoc enim est Hebræum מְאֹד; sed dicit nimis potius quam valde, quia ingens et quasi immensum requirit peccati odium: peccatum enim est immensum malum, ideoque immense abominandum; quare quantumcumque peccati sit odium, nequit esse nimium: imo Deus odio positive infinito prosequitur et exsecratur peccatum. Quocirca sicut Deus amandus est super omne bonum amabile, sic peccatum execrandum est super omne malum odibile, quod ab homine vel Angelo odiri potest. Complutenses et Tigurina quædam de luce et tenebris interserunt. Sic enim habent, contende ad Altissimum (is enim te e tenebris deducet ad lucem incolumitatis), et recede ab injustitia; atque quod abominandum est summo odio prosequere; Syrus alio rursus abit, quam multæ, inquit, sunt misericordiae Dei! qui parcat iis qui revertuntur ad eum, quia non est hujusmodi in homine: neque consilium ejus est sicut consilia filiorum carnis.

24. ET COGNOSCE JUSTITIAS ET JUDICIA (id est, mandata quæ præscribunt quod justum est, unde secundum ea judicandum est) DEI, ET STA IN SORTE PROPOSITIONIS ET ORATIONIS ALTISSIMI DEI. — Hæc

sententia et sequens jam desunt in Græco, ac consequenter in Syro et Arabico; Tigurina tamen eas sic exprimit, fac cognoscas justitiam et jura Dei, in sorte præscripta, et imploratione Altissimi persiste, q. d. Non sufficit odire execrationem, id est, peccatum execrabile; sed insuper oportet cognoscere, scilicet practice, id est, amare et facere justitias lege præscriptas, juxta illud Psal. xxxiii: « Declina a malo, et fac bonum. » Hæc enim sunt duæ partes integrantes veræ Sanctorum justitiæ.

Nota: ἵνα sta significat primo, luctam et pugnam contra hostes; secundo, in ea constantiam et perseverantiam, q. d. Luctaris cum mundo, carne et dæmone, qui te a proposito virtutis invocare satagunt; sed sta, hoc est, eorum tentationibus genereose resiste, ne cedas, nec cadas, nec tergum veritas: sic enim certo vinces. Milites enim castrenses, licet stent et resistant, sæpe tamen ab hoste potentiores vincuntur et occiduntur: at miles Dei et pugil virtutis, si in ea immotus consistat, vincit: virtutem enim nemo nobis invitis adimere potest, sed sola voluntas propria. Stare enim est verbum militare; pugnatu enim firmiter consistant oportet: unde qui id fecerant, olim donabantur torque et monilibus, teste Vegetio, lib. II, cap. vii, et Vopisco in Vita Probi. Quin et milites Romani sacramento, hoc est juramento militari, se astringebant, nunquam se a Consulibus obedientia recessuros, nunquam se locum deserturos, teste Alexandro ab Alexandro, lib. I Genial. cap. xx. Sic milites Catilinæ occubuerunt in ipso vestigio quo consistebant, teste Sallustio. Quocirca huic alludens S. Paulus Ephes. vi, 12, cum luctam fidelium cum dæmonibus descripsisset, eosque panoplia spiritali a capite ad talos obarmasset, subdit: « Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. » Et mox: « State ergo succincti lumbos vestros, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, » ubi multa in hanc rem annotavi. Hos duces secutus S. Cyprianus, lib. I, epistola. 5: « Hortamur, inquit, vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. » Idem laudans constantiam Martyrum in tormentis Exhortat. ad Mart.: « Steterunt, ait, torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sævientis diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. »

Quæres, quænam sit sors propositionis in qua stare jubet?

Respondeo primo, est sors judiciorum, id est, mandatorum Dei, ab eo cuique proposita, ut per eorum observationem salvetur et beatur, q. d. Co-